

DOCTRINAE CHRISTIANÆ

tisq; uirib. ad gloriã nominis dei, tam uerbo quã facto ser-
uituri, solidã cū ipsis in Christo ita cõmunionẽ testaturi.

XX.

Conueniẽtes igitur singulis Dominicis diebus, post pec-
catorum in commune confessionem, & Psalmos aliquot,
ab Ecclesia promiscua, uernacula lingua decantatos, ha-
bita & publica exhortatione, Euangelijque Christi præ-
dicatione, demum precatatione, pro magistratu & tota
Ecclesia, memorata ratione, & fini, cum ijs, qui è fratri-
bus sese ad id offerunt, pane & calice Domini, commu-
nicamus, commemorantes, ex Euangelistis, ut in nouis-
sima cœna illa, Christus, cum porrecto pane & calice,
simul donarit suis, suum corpus, & sanguinem, quæ in
mortem mox pro in se credentibus erat traditurus, ut ex-
piatis ipsorum peccatis, æterni cum Deo fœderis gra-
tiæ essent participes, hortantes simul fratres, ut non du-
bitent ea Christi uerba & ad se pertinere, ut credant se,
in æternam uitam, traditione corporis & sanguinis sui
adsertos, ita fore, ut uere carne & sanguine Christi per
fidem uescantur, æternum hinc uicturi.

XXI.

Sic itaque uidemur nobis cœnam Christi, & recte do-
cere, & cum fructu pietatis agitare, nihil disputantes,
si uel in panem, repectitis uerbis Christi. Hoc est corpus
&c. realiter corpus Christi transponatur, uel panis in
ipsum, ut Thomistæ loquuntur, transsubstantietur. Nam
nihil suos iussit Christus, quàm panem porrectum edere,
& calicem bibere, atq; sui ita meminisse, facite hoc inqui-
ebat, utiq; quod tum iussi ab eo faciebant (edebant autem,
& bibebant